



**R. P. Georgii de Rhodes Avenionensis S. J. disputationum
theologiae scholasticae tomus ...**

Rhodes, Georges de

Lugduni, 1661

Sectio. III. Vtrum euidenter negatiue probari poßit mysterium Trinitatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81987](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81987)

di effectus, quos cernimus in natura, constans omnium Patrum; & Theologorum assertio est, qui eo in argumento mirabiliter exultant; quia scilicet multæ vndique se oculis nostris obijciunt rerum naturalium imagines, in quibus picta quodammodo est Sancta Trinitas, eo quod cluceat in ijs vnitas cum pluralitate, tamen rectè monent Nazianzen. orat. 37. Nyssenus I. de differentia essentia, & hypostaseos, *ita reperiri ductus quosdam & veluti radios similitudinis inter effectus huiusmodi & Dei Trinitatem, ut infinita tamen semper sit distantia & dissimilitudo.*

Cælum & elementa.

Primo ergo, in ipsomet Sole imaginem expressam Trinitatis inueniunt Absana. in questionibus, quæst. 4. Nazianzen. orat. 45. eo quod vnum illud sit sydus, in quo tria tamen distincta sint, orbis solaris, radius, & lumen. Aliter autem Epiphanius in Anchorato conijcit ex Sole Trinitatem; videtur enim exemplo solis qui per vitreum vas aqua plenum refractus subiectam accendit stuppam, ubi trium personarum dinarum character expressè cernitur.

Secundo, in elemento ignis multipliciter etiam designatam esse inueniunt Trinitatem Athanasius ibidem, & Damascenus lib. 1. cap. 9. eo quod in eo sit ignis ipse, lux, & calor. Caloris (inquit Cyrillus) principium ignis est, & tamen in ipso, & ex ipso inseparabiliter calor est. Addit Epiphanius quod ignis natura plures lucernas accendit ex vna, & quæ prima est non minuitur.

Tertio, in elemento aeris itidem pinxit Deus, ut eo veluti triumphali curru inuecta Trinitas cerneatur, nam in ea flores colorum omnino tres, vnicum tamen sunt lumen inquit Basilus epistola 43. miraturque idem Nyssenus supra.

Quarto, in elemento aquæ, fons efficit fluuium & riuum, quasi triplex aqua, & tamen vnica. Ut explicant Concil. Nicenum lib. 2. Athanasius orat. 4. contra Arianos, Tertullianus contra Praxeam cap. 8.

Quinto, in elemento terræ arbor vnitatem habet in Trinitate, quod in ea sit radix, truncus, & rami, ut expendunt Tertull. ibidem, & Augustinus lib. de fide & symbolo c. 9.

In homine.

Sexto, in homine præsertim variè depinxit, ac expressit sancta Trinitas se ipsam, ut propterea merito creationem eius designans, symbolum suum conferre voluerint singulæ personæ, faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram (Trinitatis totius videlicet) alioqui frustra dixisset (nostram.) Et sanè ut de corpore taceam in quo rudi quodam monocromate picta est trium vnitas: cum in eo sit caput, brachium, digitus, at in anima plures Trinitatis imagines inueniunt merito sancti Patres: v. gr. Concilium Nicenum, Athanasius & Nazianzen. quia in ea est anima, verbum, & respiratio seu spiritus; qui enim loquitur in verbo quod loquitur, proflat necessariò se ipsum. Deinde in ipsa est substantia, ratio, & volitio, ut expendit Nyssenus epist. ad Apollinarem. Denique in ea est scientia interna, verbum, & amorem generans, ut fusè differit August. lib. 15. de Trinit. c. 6. 11. 13. & seq.

In qualibet creatura.

Septimo, in qualibet creatura vestigium multiplex Trinitatis inspicere docent Patres, eo quod nulla sit in qua vnitatem cum Trinitate inspicere non liceat. Prima est modus, species, & ordo. Secunda, origo, pulchritudo, delectatio: postremo essentia, virtus, operatio. Vide Ruiz. disp. 44.

Deinde suadent idem variæ congruentiæ. Prima, quod fecunditas perfectio maxima sit, quæ si est possibilis, Deo negari nullo modo debet. Secunda, est perfectio felicitatis & amoris; videbitur enim maior si consortem naturæ habeat. Tertia est intellectus, & voluntatis etiam in nobis fecunditas. Quæ omnia

ut vides suadent, explicant, declarant probabiliter obscurissimum hoc mysterium supposita illius fide, sed ab euidencia longissimè sanè distant.

Ad primam Resp. cognitionem quæ nititur reuelatione inevidenter cognita, esse semper inevidentem, si autem præsupponat reuelationem euidenter cognitam, v. gr. si quis euidenter cognosceret sibi Trinitatem reuelari euidenter, certè illa cognitio esset euidens, quamuis esset per medium extrinsecum.

Ad secundam Resp. loquutum me semper esse de effectu purè naturali, ex quo negari posse cognosci Trinitatem euidenter: Actus verò fidei naturalis habens pro motiuo saltem remoto reuelationem, non esset effectus purè naturalis cuius motiuum non debet esse reuelatio.

Ad tertiam Resp. negari non posse quin plures olim è sapientibus aliquam Trinitatis habuerint notitiam, ut docent Clemens Alexandrin. lib. 5. Stromatum. Iustinus orat. ad gentes, & latè referunt Eugubinus, Valsques, & Ruiz, v. gr. clarum est ac celebre dictum illud à Trismegisto, *Monas genuit Monadem, & in se suum reflexit ardorem.* De Platone ac oraculo Delphico multa prodit idem Eugubinus, & ex eo Valsq. disp. 132. Deinde tamen certum est, omnem huiusmodi sapientum cognitionem fuisse imperfectissimam, & infinitis erroribus admixtam. v. g. Plato de Trinit. loquens, somnia plura posuit, ut mericò prodromus dicatur fuisse Arianorum, ut latè refert Petavius lib. 1. c. 1. ponebat videlicet ille tres Deos, Bonum, Ideam, Animam, vel etiam summum Deum, Demiurgum, & animam, sed duos posteriores verè creatos esse, ac primo illo longè inferiores, ex qua opinione innumera orta sunt Hæresum monstra. Tertio ergo, discere illa quasi per caliginem potuerunt, ex oraculis gentium, ex scriptis sybillinis, & ex lectione scripturarum.

SECTIO III.

Utrum euidenter negatiuè probari possit existentia Trinitatis.

PRobare Trinitatem euidenter negatiuè, non est aliud (ut dixi) quam euidenter soluere argumenta omnia, quibus probari posset illam esse impossibilem. Quia verò innumera ferè illa sunt, quæ aduersus hoc mysterium possunt opponi, & pertinent ad ea quæ inferiùs disputari debent, ea solùm atringam hoc loco, quæ magis directè ostendunt non esse in Deo tres distinctas personas identificatas realiter, eidem indiuisibili naturæ: *Hoc enim* (inquit Hilar. lib. 8. de Trinit.) *Ecclesia intelligit, hoc synagoga non credit, hoc philosophia non sapit, vnum ex vno, & totum à toto Deum, & filium, neque per naturam patri admississe quod totus est, neque hoc ipsum totum non secum nascendo tenuisse.*

Ratio enim dubitandi videtur esse, quia mysterium Trinitatis in hoc totum consistit, quod eadem essentia diuina simplicissima & vnica sit perfectè identificata paternitati, filiationi, spirationi passiuæ sine distinctione reali ab his tribus, quæ inter se tamen realiter sint plura & distincta.

Hoc autem statim videtur repugnare lumini rationis tripliciter. Primo, quia repugnat principiis metaphysicis vniuersalissimis, & notissimis, *impossibile est aliquid esse simul & non esse: quodlibet est vel non est.* Secundo, quod repugnet principiis syllogisticis receptissimis: *quæ sunt eadem vni tertio sunt eadem inter se: dici de omni & dici de nullo.* Tertio, quod repugnet prædicatis Deo proprijs, & ea destruat, vnitatem, & aseatatem, &c.

Euidenter negatiuè.

Repugnare videtur ex triplici capite.

S. I.

Primum Trinitas personarum probetur esse impossibilis ex eo quod repugnet primis principis metaphysicis.

Contradictoria et ut vera de Deo.

Propositiones reuera contradiCTORIAS de nullo vel creato, vel increato non posse vnquam verificari, principium est primum omnium, & notissimum, de quo initio statim metaphysica dici solet, estque doctis iuxta & ignavis notum, impossibile est aliquid simul esse & non esse. Hoc est affirmationem & negationem de nulla simul re posse predicari, & hoc tamen est quod mysterium Trinitatis directe impetit, si enim personae inter se plures, vnum sunt cum aliquo tertio certe innumerae propositiones contradiCTORIAE possunt de Deo fieri, vbi vtrumque membrum verum erit.

Prima probatio.

Primo enim, eadem entitas indiuisibilis quae est essentia diuina, & personalitas producens, communicatur personae productae, cui tamen non communicatur personalitas, ergo eadem entitas communicatur realiter, & non communicatur realiter, similiter eadem entitas quae est essentia diuina, & personalitas producta producit ut est personalitas, & non producit ut est essentia, ergo de eodem idem simul affirmatur, & negatur.

Secunda.

Secundo, intellectio & volitio sunt vna res omnino indiuisibilis, & tamen intellectio realiter generat verbum, volitio autem non generat, ergo eadem res generat realiter & non generat. Vnde argumentor vltius tunc duo distinguuntur realiter, quando vnum non est realiter hoc, quod est aliud, sed voluntas non est hoc, quod est intellectus, quia intellectus est generans, voluntas autem non est generans, ergo intellectus & voluntas distinguuntur realiter.

Tertia.

Tertio, eadem res realiter singularis est & communis, Deitas enim est essentialiter haec, & tamen communis est pluribus. Similiter pater & diuinitas sunt vnica res, & tamen pater generat realiter, diuinitas autem non generat realiter, ergo eadem res indiuisibilis generat, & non generat a parte rei. Denique res simplicissima quam possumus concipere sub esse relationis, & essentiae, est relatio, sed relatio non communicatur, ergo res illa non communicatur, ergo eadem res simul communicatur, & non communicatur.

Prima solutio.

Respondent aliqui primo, propositiones contradiCTORIAS posse de re eadem finita verificari, non posse verificari de re infinita.

Sed contra, nam hoc omnino est dicere quod mysterium Trinitatis admitti non potest in Deo, quin admitras eodem tempore, quod possunt predicari de Deo contradiCTORIA, quo nihil dici potest absurdius, quid enim? aliud est quam euertere principium illud lumine naturae notum *impossibile est aliquid esse simul & non esse*. Et clarissime argumentor, si de re infinita, verificarentur contradiCTORIA, sequeretur quod perfectio quae verificaretur de re infinita non posset de illa affirmari, quod probo, tunc aliqua perfectio non potest affirmari de re aliqua, quando illi non conuenit, sed illa perfectio illi non conuenit, quia potest de illa negari, ergo non potest affirmari. Deinde in contradiCTIONE pars negatiua destruit partem affirmatiuam secundum omnem rationem, ergo vbi erit contradiCTIO in Deo, nihil potest secundum ullam rationem affirmari.

Secunda solutio.

Respondent alij secundo, quod praedicata quae in creaturis essent contradiCTORIA, non sunt contradiCTORIA in Deo, quia licet essentia, & relatio sint omnino idem realiter, inter illas tamen distinctio est, virtualis & aequiualens, non quod vna non sit altera, sed

Tom. I.

quod aequiualeant rebus distinctis realiter, & possint idem quod illae, ideoque non esse mirum quod realiter communicetur essentia non communicata relatione, quia essentia, & relatio rebus aequiualeant distinctis.

Haec responsio difficilis est, ut aduertunt, neque satis soluunt authores à quibus nuper virtualis ista distinctio est excogitata; petitur enim in hac solutione principium, & explicatur idem per idem, nam essentiam & relationes distingui virtualiter, non significat aliud, quam Deum ratione infinitatis, esse capacem denominationum in se contradiCTORIARUM, ergo cum dicis essentiam & relationes esse capaces denominationum contradiCTORIARUM, quia virtualiter distinguuntur, dicis duntaxat illas esse capaces contradiCTORIARUM denominationum quia sunt illarum capaces, quod est admittere quod in Deo ratione infinitatis falsum est illud principium impossibile est aliquid esse & non esse, per solam ergo distinctionem virtualem, eo modo explicatam non soluitur difficultas proposita de contradiCTORIIS quae locum habebunt in Deo.

Tertia responsio.

Respondent alij tertio, satis communiter non verificari de Deo contradiCTORIA, quia requiritur ad contradiCTIONEM, ut de eadem re secundum eandem formalitatem, idem affirmetur, & negetur, certum autem esse quod secundum diuersas formalitates, potest de aliquo subiecto idem affirmari, & negari, homo discit ut rationalis non discit ut sensitiuus. In Deo autem istam non esse contradiCTIONEM, essentia communicatur, non communicatur relatio, & cetera huiusmodi quia illae affirmationes & negationes cadunt supra eandem entitatem, secundum diuersam formalitatem.

Haec etiam responsio impugnari solet multipliciter; sic enim argui potest; illae duae formalitates reales, & realiter existentes in Deo essentia, & relatio, vel à parte rei ante operationem intellectus sunt duo realiter distinctae, vel ante operationem intellectus non sunt distinctae, si primum admittis inter essentiam & relationem, realem distinctionem, quod repugnat fidei, si secundum, ergo de eadem re ratione eiusdem realiter, vera sunt contradiCTORIA, & sic conclusa operatione intellectus vera sunt de Deo contradiCTORIA. Deinde duae illae formalitates, vel sunt aliquid chimericum & fictum, vel sunt aliquid reale. Si fictum, ergo fingitur in Deo Trinitas, quae sublatà intellectione nostra nulla erit: si reale, ergo sunt entitates, & quidem distinctae realiter non formaliter tantum, vel enim distinguuntur chimericè ac fictè, vel realiter, non fictè, ergo realiter, vel ergo dicendum est conuenire Deo duo contradiCTORIA, vel admittenda est distinctio personarum & essentiae in Deo.

Vera solutio.

Respondeo tamen iuxta solutionem istam vltimam, addendo aliquid de secunda negando sequi ex mysterio Trinitatis, quod contradiCTORIA magis verificentur de Deo quam de creaturis propter mysterium Trinitatis, quia essentia & relatio, intellectio, & volitio, quamuis non distinguantur realiter, distinguuntur tamen ratione cum fundamento in re, imò & realiter aequiualenter, eo quod propter infinitatem aequiualeant pluribus distinctis realiter, de qua vtraque distinctione accuratè dicam quaestione sequenti, nunc itaque dico, nunquam esse contradiCTIONEM quoties affirmatur, & negatur aliquid de aliquo quod est multiplex ratione cum fundamento in re & quod aequiualenter etiam est multiplex; nam quia cum fundamento in re animalitas & rationalitas distinguuntur conceptibus, rectè de illis affirmatur aliquid, & negatur, quod multò magis locum in Deo habet in quo praeter distinctionem rationis, est distinctio

Y 2

ctio

etio etiam realis virtualis, & hoc idem omnino dicuntur, qui ponunt distinctionem formalitatum, nam formalitas illa significat duntaxat perfectionem realem, conceptu distinctam, ab alia perfectione reali cum fundamento in re: hoc autem fundamentum non est aliud quam ipsa res, quatenus dat occasionem intellectui concipiendi eam sine alia re; cum ergo dicitur illud fundamentum, vel sunt duæ formalitates vel aliquid aliud: responderi debet illud fundamentum esse duas formalitates non actu distinctas, sed fundamentaliter. Itaque semper dicendum est formalitates istas reales esse, ante operationem intellectus, sed negandum est, illas ante operationem intellectus actu distingui, nisi fundamentaliter tantum, & æquivalenter. Ergo (inquies) ratione eiusdem realiter dicentur de Deo contradictoria, distinguo, ratio de eiusdem realiter quod est etiam unum ratione, nego, ratione eiusdem quod per rationem cum fundamento in re distinctum est, imò quod realiter virtualiter est distinctum concedo: esse autem ratione distinctum cum fundamento in re non est esse chimæricè distinctum ut per se patet.

Ad primam itaque Resp. propositiones istas essentia diuina communicatur, non communicatur relatio: essentia diuina non producit, relatio producit, non esse villo modo contradictorias, quia essentia & relatio distinguuntur ratione cum fundamento in re, quod sufficit tum in Deo, tum in creaturis, ut tollatur contradictio. Vnde si solum haberetur ratio contradictionis sola in Deo sufficeret distinctio rationis, sed quia tamen aliter contradictoria conueniunt creaturis, aliter Deo, propterea noua quædam distinctio in Deo reperitur quæ in creaturis locum non habet, ut dicam quæst. 2.

Ad secundam de intellectu, & volitione, quarum una generat, altera non generat, eadem responsio est, distinguuntur enim tum ratione cum fundamento in re, tum virtualiter realiter. Ad instantiam distinguitur illa maior, tunc aliqua duo distinguuntur realiter, quando unum realiter non est hoc, quod est aliud, si nullo modo sit hoc quod est aliud, concedo, si aliquo modo sit hoc quod est aliud, nego. Volitio est aliquo modo id, quod est intellectio, quia est realiter intellectio, & aliquo modo non est hoc, quod est intellectio, quia non est generans sicut intellectio. Vel certe distingui potest aliter hæc maior, tunc aliqua duo distinguuntur realiter virtualiter, quando unum non est realiter hoc, quod est aliud concedo, distinguuntur realiter, absolute nego.

Ad tertiam Resp. rem illam quæ actu realiter eadem est, & multiplex fundamentaliter, ac æquivalenter, esse posse communem, & singularem, nam essentia ut essentia est, communis est tribus personis, non est communis prout relatio est: similiter etiam res eadem quæ concipitur ut essentia, & relatio, generat & non generat sub diuerso conceptu communicatur & non communicatur, absque illa contradictione. Vnde syllogismus hic, & plerique alij continent fallaciam compositionis, & diuisionis, hæc res quæ concipi potest sub conceptu essentia, & relationis est relatio, sed relatio non communicatur, ergo hæc res non communicatur, nam utimur hic distinctione & unitate quæ termino eidem conueniunt ad probandum propositionem falsam; terminus enim hic (res) includit essentiam & relationem, sumitur autem hic quasi solam significaret relationem. Vnde distinguitur illa maior, hæc res quæ concipi potest, &c. est relatio tantum nego, est essentia & relatio concedo, ergo hæc res non communicatur ut essentia, nego, ut relatio concedo.

S. II.

Verum probetur impossibilitas pluralitatis personarum in Deo, quod illa repugnet primis principiis syllogisticis.

VNum in tribus diuinitas est (inquit Nazianz. orat. 39.) & tria unum, in quibus diuinitas est, vel ut magis propriè dicam, quæ diuinitas est, hoc autem non videtur posse stare cum tribus illis principiis, in quibus vim omnem discursus fundari constat ex philosopho, primum est, quæ sunt eadem uni tertio sunt eadem inter se. Secundum, dici de omni. Tertium, dici de nullo, id est, quæcunque affirmantur aut negantur de aliquo superiori, affirmantur etiam & negantur de omnibus quæ sub illo continentur: quæ tria lumine naturæ notissima sunt, & tamen ex mysterio Trinitatis directè videntur imperi.

Primo enim, paternitas, & filiatio sunt realiter idem cum essentia diuina, ergo debent esse idem realiter inter se, si verum est illud principium, quæ sunt eadem uni tertio, &c. Si autem negetur illud in Deo, poterit identitas extremorum negari etiam si admittatur in præmissis, eorum identitas cum medio.

Secundo, essentia Dei est eadem res realiter cum paternitate, & est eadem realiter res cum filiatione, paternitas & filiatio sunt duæ res, ergo essentia est etiam duæ res, vel certè negari potest Petrum & Paulum esse duos homines, etiam si duo sint indiuidua, ergo falsum erit principium, dici de omni.

Tertio, vel paternitas est eadem res cum essentia, vel non est eadem res, si secundum, ergo non est mysterium Trinitatis, si primum, ergo paternitas est eadem res cum filiatione, quia filiatio est eadem res cum essentia: quomodo? enim potest hoc esse falsum, paternitas est eadem res cum essentia, filiatio est eadem res cum essentia, ergo paternitas & filiatio sunt eadem res.

Ad hanc difficultatem grauissimam plurimæ solutiones excogitatae sunt, quæ tamen vel euidenter petunt principium, & explicant idem, per idem, vel absolute negant principium illud in diuinis valere posse.

Primo enim, Resp. Capreolus & Caietanus, illa quæ sunt eadem uni tertio, esse inter se eadem non totaliter, sed in illo tertio; Pater enim & filius, identificantur essentia diuinæ, suntque idem inter se in ratione essentia, sed non in ratione personæ.

Hæc explicatio apertè insufficiens est, quia iuxta illam, hoc axioma quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se, propositio est identica, nam dicere quod quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se in illo tertio, est dicere tantum quod quæ sunt eadem cum vno tertio, sunt ambo eadem cum vno tertio, quod nugatorium est, neque in eo sensu ab Aristotele usurpatum, nam ex eo sic intellecto, non potest colligi unitas duorum inter se, quam Aristoteles docet colligi ex identitate cum tertio. Et axioma illud sic intellectum inutile proptus ad omnem syllogismum, in quo negari semper posset consequentia in qua inferretur identitas duorum extremorum inter se, quia sunt eadem cum tertio. Et in creatis absolute verum est, quod quæ habent identitatem cum tertio, absolute idem sunt inter se.

Respondent secundo, Capreolus etiam & Caietanus, quod quando aliqua duo, idem sunt uni tertio, non solum re, sed etiam ratione, tunc sunt eadem inter se, quando autem non sunt eadem ratione cum aliquo tertio, tunc falsum est axioma, etiam si re sint eadem cum illo tertio; probantque id exemplo actionis & passionis, nam illæ distinguuntur inter se, quamuis sint idem cum motu.

Hæc etiam explicatio manifestè falsa est, quia negat

Tria principia Syllogistica.

Prima probatio.

Secunda.

Tertia.

Prima Solutio

Secunda Solutio

gat, quod illa sint eadem realiter inter se, quæ realiter sunt eadem cum tertio, unde sequitur falsum esse omnem syllogismum, quando medius terminus, & extrema non sunt synonyma: In creatis etiam constat, quod nunquam aliqua duo identificantur realiter, cum aliquo tertio, quin identificentur realiter inter se; actio enim & passio sicut identificantur cum motu, sic identificantur etiam inter se.

Tertia responsio.

Respondent alij tertio, quod quæ sunt eadem adæquatè cum vno tertio, sunt etiam eadem inter se, quando verò inadæquatè tantum sunt eadem cum vno tertio non sunt necessariò eadem inter se adæquatè, sed solum inadæquatè, personalitates autem Patris & Filij, esse idem inadæquatè cum essentia, quia non sunt idem cum omni eo, cum quo identificatur essentia; identificantur enim essentia, non personalitati, idè sunt idem in essentia non in personalitate.

Hæc responsio apertè petit principium nam esse idem adæquatè cum vno tertio est identificari cum omni eo cui tertium illud identificatur; ergo cum dicis, quæ identificantur cum tertio adæquatè, identificantur etiam inter se, hoc tantum dicis quod quæ ita identificantur cum tertio, ut identificentur inter se, identificantur inter se, ergo principium illud duntaxat significat quod quando aliqua identificantur cum tertio, identificantur illi etiam adæquatè, quia identificantur cum omni eo, cum quo tertium illud identificatur; est enim hoc in Trinitate maxime mirabile, quod duo ita identificentur essentia, ut non identificentur illi adæquatè, quod est non identificari omni ei cui essentia identificatur.

Quarta responsio.

Respondent alij quarto, cum Suarez, illud principium non esse absolute verum in natura diuina, sed tantum in creatis: quando enim (inquiunt) aliqua identificantur vni tertio quod est infinitum, non necessariò sunt eadem inter se, quia infinitas illius tertij admittit communicabilitatem cum plurib' distinctis.

Sed hoc est difficile, quia si negatur principium hoc in diuinis, sequitur nullum valere posse in diuinis genus argumentandi; quia omnis syllogismus ut probauimus alias fundatur in eo principio, ad quod reuocari etiam alia duo debent dici de omni, & dici de nullo.

Verior solutio.

Itaque ut vides non est facile dicere, quomodo conuenire possit cum hoc principio notissimo, vnitas essentia, ac pluralitas personarum, verior tamen videtur solutio quam habent Valentia q. 2. p. 4. Arriaga d. 4. 3. sect. 3. ad quam etiam alia reuocari possunt. Aduerto igitur quod etiam in creatis principium illud aliqua eger limitatione, nam fieri potest ut aliqua duo identificentur alicui tertio quod sit omnino incommunicabile, sicque verum est absque ulla limitatione hoc axioma; tunc enim illa duo identificantur inter se: Aliquando autem contingit, ut aliqua identificentur alicui tertio, quod sit communicabile, ut Petrus & Paulus identificantur humanitati, & tunc non sunt eadem inter se. Sed hoc tamen differt Deus à creaturis quod in istis nihil omnino possit communicari pluribus, nisi multiplicetur, in Deo autem datur aliquid propter infinitatem quod retinendo suam unitatem indiuisibilem, est tamen pluribus communicabile, quia quamuis illud realiter vnum sit, est tamen multiplex virtualiter, quatenus æquiualeat pluribus, & potest efficere totum illud, quod facerent plura, huiusmodi est essentia diuina, quæ tam realiter communicatur tribus personis quæ humanitas est in Petro, & Paulo, cum hoc tamen discrimine, quod humanitas est in illis multiplex realiter & terminus, tunc logicè tunc physicè vniuersalis, Deitas autem singularis omnino est, sed virtualiter tantum multiplex, & vniuersalis logicè tantum non physicè, quatenus sola existens, & indiuisibilis potest tamen esse in multis, &

de illis verè ac indiuisibiliter prædicari, quod in creatis non reperitur.

Instantia.

In hoc enim est sita ratio tota mysterij abditissimi, quod sola proponit fides, ut credamus esse in Deo aliquid vnum, virtualiter tamen multiplex, sicut datur aliquid indistinctum realiter, distinctum tamen virtualiter. Vnde ad argumentum responderi potest, quod quæ sunt eadem vni tertio incommunicabili & indiuisibili etiam virtualiter, sunt eadem inter se: quæ verò sunt eadem vni tertio, realiter quidem indiuisibili sed multiplici virtualiter, & reuerà communicabili non sunt eadem inter se. In Deo certum est personalitates esse singulares tunc virtualiter, tunc realiter, essentiam autem esse communicabilem & multiplicem virtualiter, propterea quæ identificantur essentia, non sunt propterea eadem inter se, quia sunt eadem in vno tertio quod propter virtutalem pluralitatem, est communicabile pluribus sine sui diuisione.

Instabis, in ea explicatione manifestè peti principium, quia dicere quod essentia diuina virtualiter multiplex est, & communicabilis, est dicere illam esse identificabilem pluribus distinctis, atque ita sensus axiomatis huius erit quod quæ sunt eadem vni tertio sunt eadem inter se nisi sint distincta, siue axioma hoc esse verum, nisi sit falsum.

Respond. negando peti principium in hac axiomatis explicatione; dicitur enim illud esse verum quando identificatio duorum, est in aliquo tertio quod est omnino vnum, si autem illud æquiualeat sit plura, tunc non esse verum. Fateor autem totam in eo esse difficultatem quomodo aliquid possit æquiualeat pluribus, sed eam difficultatem fide tradi, tanquam aliquid omnem superans naturæ vsum.

Ad primam ergo, Respon. paternitatem & filiationem identificari eadem essentia, licet inter se distinguantur: potest autem in quolibet syllogismo negari identitas extremorum, quando illa probatur ex identitate cum medio quod est virtualiter multiplex, quando autem medium non est multiplex virtualiter, tunc consequentiam esse lumine naturæ notam.

Solutio trium dubitationum.

Ad secundam, Resp. in hoc syllogismo essentia diuina est eadem res cum paternitate, & eadem res cum filiatione, &c. Distinguendam esse minorem paternitas & filiationem sunt duæ res, prout sunt eadem res, cum essentia nego, prout sunt personalitates concedo unde non sequitur quod essentia sint duæ res.

Ad tertiam Resp. paternitatem esse eandem rem cum essentia, non tamen cum filiatione; in hoc enim syllogismo paternitas est eadem res cum essentia, filiatione est eadem res cum essentia, ergo paternitas est filiatione, neganda est consequentia, quia essentia diuina cum sit terminus virtualiter multiplex, & logicè vniuersalis adæquatè non distribuitur in præmissis; & ita illi syllogismi ubi essentia diuina est medium vel subiectum, nullo modo sunt expositiores, quia in syllogismis expositiores necesse est ut termini sint omnino singulares, ut cum dicitur Socrates est hic homo, Socrates est Philosophus, ergo hic homo est Philosophus: sicut ergo non valeret hic syllogismus, Petrus est homo, Paulus est homo, ergo Petrus est Paulus, quia terminus (homo) cum sit terminus communis, non est medium syllogismi expositiores, & si sit medium syllogismi categorici adæquatè debet distribui, hoc est sumi pro omni eo pro quo sumi potest: similiter quia essentia diuina & Deus sunt termini virtualiter multiplices, & logicè communes, propterea non possunt esse medium in syllogismo expositiores, & in alijs syllogismis adæquatè debent distribui; idè isti non valent, essentia diuina est pater, essentia diuina est Filius, ergo Pater est Filius.

Ex quibus omnibus difficile non est colligere, quomodo hæc duo principia, dici de omni, & dici de

Y 2 nullo,

dici de
omni.

nullo, in diuinis locum habeat non obstante Myſterio Trinitatis: nam illa principia ſi rectè intelligantur, non puto differre ab iſto, quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe; quia dici de omni, ſignificat quod quæ dicuntur de aliquo ſuperiori adæquatè ſumpto dicuntur etiam aut negantur de omnibus quæ ſub illo continentur; ratio autem huius alia non eſt, niſi quia ratio ſuperior identificatur cum ſuis inferioribus, ideoque prædicatum identificatur cum inferioribus, quod identificatur cum ſuperiori, eundemque habet ſenſum dici de nullo, ideoque valent omnino in diuinis duo hæc principia, modò tamen ratio communis, & ſuperior adæquatè diſtribuitur, alioqui neque in diuinis valet neque in creatis.

§. III.

Utrum pluralitas perſonarum repugnet in Deo, ex propriis Dei prædicatis.

TRia illa ſine dubio ſunt, vnitas perfectiſſima ſeu ſingularitas, ſumma independentia, omnimoda infinitas, quæ tria cum Trinitate perſonalitatum, videntur ſtare nequaquam poſſe.

Vnitas
Dei.

Primò enim eadem argumenta omnia quibus probatur vnitas eſſentiæ diuinæ, probant etiam vnitatem perſonæ, Prima ratio eſt, quia Deus eſt primum ens, quod autem eſt primum, eſt neceſſariò etiam ſolum, ſed Deus non probatur magis eſſe primum ens in ratione eſſentiæ quàm in ratione perſonæ. Altera ratio eſt, quia Deus eſt eſſentialiter totum ſuum eſſe; ſi enim eſt ſingularis, eſt eſſentialiter ſingularis, atque ad eò eſſentialiter immultiplicabilis, ſed perſona diuina in ratione perſonæ eſt totum ſuum eſſe, alioqui eſt ens participatum, ergo ſi eſt ſingularis eſt eſſentialiter ſingularis, atque ad eò immultiplicabilis. Denique vltima ratio eſt infinitas Dei, cui nihil eſſe poteſt vel æquale, vel maius; nam in ratione perſonæ infinitus eſt, & ſummè magnus, ergo nihil ei eſt æquale.

Aſſectas.

Secundo, ſi pater generat filium, filius eſt ens productum, ergo eſt ens cauſatum & dependens, quid enim eſt eſſe productum & dependens, quam eſſe ens cauſatum.

Infinitas.

Tertiò, perſonalitas diuina eſt aliquid ſuperadditum eſſentiæ, ergo eſſentia diuina eſt in potentia vt determinetur ad eſſe perſonæ, per aliquid ſuperadditum ergo non eſt ens infinitum per eſſentiam, nec eſt ens ſummè purum, & ſimplex; datur enim in eo compositio ex eſſentia, & perſona, & non eſt perſona per eſſentiam, ſed per participationem.

Solutio
trium du-
bitationū.

Ad primam Reſp. neg. vnitatem perſonæ in Deo, iſdem argumentis probari, quibus probatur vnitas eſſentiæ, neque probari tres eſſe Deos ſi ſunt tres perſonæ vt eleganter contra calumnias infidelium multis argumentis demonſtrant Auguſt. tract. 39. in Ioann. Bernard. l. 5. de conſider. c. 8. Tertull. contra praxeam cap. 3. Baſil. opuſc. ea de re. Primò enim, ex eo quod eſſentia Dei ſit primum eſſe, ſequitur quod vnica in Deo ſit eſſentia, perſonalitas verò non eſt eſſe primum & radicale; Patet enim, quod Deus non eſt prima radix totius eſſe in ratione perſonæ, ſed in ratione naturæ, nego igitur perſonalitatem eſſe debere ens omnium primum. Secundo, ex eo quod natura ſit ſingularis, & eſſentialiter totum ſuum eſſe, ſequitur quod ſecundum eſſentiam ſit immultiplicabilis, quia quod eſt eſſentialiter, hoc, eſt eſſentialiter immultiplicabile ſecundum eſſentiam, ſed non eſt eſſentialiter immultiplicabile ſecundum perſonalitatem, ideoque perſona diuina quæ eſt totum ſuum eſſe, ita eſt eſſentialiter hæc vt ſecundum eſſentiam ſuam multiplicari nequaquam poſſit; proprietas tamen eius perſonalis multiplex eſſe poſſit ſecundum rationem communem perſonæ, non ſecundum rationem talis perſonæ, quia in

Deo non eſt niſi vnus pater, & vnus filius, ſed de hoc iterum infra cùm ageretur de ſubſiſtentiis. Tertiò, ex infinitate Dei ſequitur quod in eſſentia, & potentia nihil ei eſſe poteſt æquale, vel maius: poteſt autem ei æquale aliquid eſſe in ratione perſonæ modò eandem participet eſſentiam; nam ex eo quod Deus ſit infinitus in ratione perſonæ, nihil eſſe poteſt æquale in ratione perſonæ, niſi participet eandem eſſentiam, ſi autem illam participet, poteſt.

Ad ſecundam Reſp. Filium Dei eſſe reuera productum à Patre, & tamen eſſe verum ens à ac ſe independens, nullam habens cauſam; nam ens dependens & cauſatum, eſt illud quod eſt productum per communicationem eſſentiæ diuerſæ ab eſſentia producentis: ens autem independens eſt illud, quod eſt improductum omnino, vel eſt productum per communicationem eiſdem eſſentiæ improductæ: idè filius nullam habet cauſam, & eſt ens à ſe æquè ac Pater, quia producit à Patre per communicationem eiſdem eſſentiæ quæ eſt in Patre. Cùm enim perſonalitas illa producta, identificetur eſſentiæ improductæ & independenti; perſonalitas etiam illa eſt ens à ſe, non autem ens ab alio quod ſit aliud, ſed ad ſummum ens ab alio qui ſit alius.

Ad tertiam dictum iam olim eſt perſonalitatem non diſtingui niſi ratione ab eſſentia, vt magis etiam mox conſtabit, vnde nego eſſentiam determinari vt ſit perſona per aliquid ſ. per additum realiter, idè nec eſt perſona per participationem. Quod erit ex modo dicendis maniſeſtius. Concludat nunc Bernard. l. 5. de conſider. c. 8. *Querit aliquis (inquit) quomodo illud quod Catholicum eſſe dicimus, poſſit eſſe, ſufficiat ei tenere ſic eſſe: atque hoc eſſe non rationi perſpicuum ſed fidei perſuaſum.*

QVÆSTIO II.

De Quidditate Myſterij Trinitatis.

SIc probata Myſterij huius ſecretiſſimi exiſtentia, *In quo* (vt ait S. Iacobus in Liturgia) *hoc eſt ſingularis, atque mirabile, quod lux diuinitatis ſine diſiſione diuini, aggredior illius explicare quidditatem, id eſt aperire in quo Myſterium ſitum ſit.* Ex iis autem Catholicæ veritatis Capitibus, in quibus docebam initio totum illud contineri, video eſſentiam eius totam ex iis conſici, quod diuinæ perſonæ diſtinguantur, procedant, referantur, ſubſiſtant, conſtituantur, inuicem diſtinguantur. Vnde 1. dicendum eſt de diſtinctione perſonarum diuinarum. 2. de proceſſionibus, & principiis productiuis. 3. de relationibus. 4. de ſubſiſtentiis & conſtitutione perſonarum diuinarum. 5. de notionibus. Moneo autem hic præſertim habere locum, quod referebam aliàs ex Hilario l. 2. de Trinit. *Credendus eſt, intelligendus eſt & his officiis eloquendus.*

Quidditas
Trinitatis
ſex com-
plectitur
capita.

SECTIO I.

De diſtinctione perſonarum diuinarum.

S. Thom. q. 28. art. 2. & 3.

PRæcipuus, vt ab initio ſæpè monui difficultatis totius cardo eſt, perfecta diſtinctio perſonarum, & earundem indiſtinctio ab eſſentia, quæ vt explicetur, diſtinctius ſtatueda videntur quatuor, ſuppoſitis iis omnibus quæ diſp. 1. dixi de identificatione attributorum ab eſſentia. 1. diſtinctio perſonarum, & perſonalitatum inter ſe. 2. vtrum inter eſſentiam & perſonalitatem, ſit aliqua diſtinctio realis actualis. 3. vtrum ſit diſtinctio rationis & qualis illa ſit. 4. vtrum ſit præterea diſtinctio realis virtualis.